


Johann Placcius Johannes Ellisen

## **Disputatio Philosophica De Causis**

Rostochi[i]: Richelius, 1636

**<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729459764>**

Druck Freier  Zugang




Ru phil 1636.

Johann Placcius

Johannes Ellisen







70

D. O. M. A.

DISPUTATIO PHILOSOPHICA

De

CAUSIS.

Quam

Permissu Amplissimi Collegii Philosophici  
in Inclyta Rosarum Academia

PRÆSIDE

JOHANNE PLACCIO Thuringo

Medic: Licent.

Publico Examine subjiçit

JOHANNES ELLISEN Einbeceensis.

51

27. Augusti in Auditorio Majori.



ROSTOCHI

Ex Officinâ Typographicâ heredum Richelianorum

Anno c1o 1oc xxxvi.



DISPUTATIO PHILOSOPHICA

CAUSIS

Philosophiae in Regia Universitate Rostockensi

JOHANNIS PLACIDI THINGG

JOHANNES PLESSER IMPRINTEUR

1711

Rostock

Anno 1711





## Cum Deo !

**C**um omnes alia materia & Discursus Philosophici suam in ceteris, tam inferioribus, quam superioribus disciplinis, habeant utilitatem; ita haec, qua de Causis agit Tractatio in omni bona & accurata eruditione suum insignem praebet usum: unde, si etiam nos aliquid opera in ea ponamus, non exiguum commodum & fructum nobis inde promittimus. Ante autem quam Causas ipsas accedamus, opera precium erit, prius de Principiis agere, quandoquidem illorum sapius fiet mentio in Causis, immo ipsa Causa per Principium definitur. Sit itaq;

### THESIS I.

Licet Principii variae dentur definitiones apud Philos., ut l. 2. de Poët. c. 7. l. 5. de generat. anim. c. 7. 1. Phys. t. 42. cum tamen illa non sint Principii in communi, sed determinati alicujus generis; maxime placet, illa s. Met. c. 1. *Principium est primum unde aliquid aut est, aut fit, aut cognoscitur.* Quae non tantum generalis est; verum etiam generalem quandam divisionem Principiorum continet. Sicut n. res aliqua potest considerari tripliciter, vel in fieri, vel in facto esse, vel in cognosci, sicut e. g. domus quando aedificatur est in fieri, quando aedificata est, est in facto esse & postea etiam cognoscitur, ita tria etiam oriuntur principia, ita sc: ut aliud sit *principium Fiendi*; quod tantum concurrat ad constitutionem rei in fieri, ut Privatio; aliud *Essendi*; a quo res inesse dependet, ut sunt materia & forma respectu corporis naturalis & natura respectu motus; aliud *cognoscendi*; quod nihil aliud est, quam integra propositio notior, per quam ignotius aliquid cognosci potest.

2. Nec obstat Principia Essendi h. m. etiam posse esse principia cognoscendi; siquidem unde aliquid dependet in esse ab eodem etiam dependet in cognosci; jam vero à principii Essendi



res scil. effectus dependet in Esse. E. Resp. Principia Essendi si absolute sumantur, non distingui à principiis cognoscendi; sed eadem sub se comprehendere vi argumenti: exclusivè tamen considerata principia Essendi contradistinguuntur, quia hoc modo ea tantum vocantur principia cognoscendi, quæ non simul sunt principia Essendi, ut sunt integræ propositiones, ex quibus aliquid cognoscitur.

3. Rectè vero Suarez *disp. Met. 12. s. 1.* duo ponit requirita ad hoc ut aliquid dicatur principium alicujus I. ut sit *Prims*; est enim juxta Philos. I. cit. *Principium primum*: hoc tamen non sufficit, licet enim infans heri Romæ natus prior sit infante in Germania hodie nato, non tamen ejus potest dici principium; ideoq; requiritur II. *Ratio Relativa*, sive ut aliqua connexio sit inter ea vel consecutio unius ab altero; nam principium est alicujus principium, in quo consistit formale principii. Quam habitudinem dubio procul indicare voluit Thomas, quando principium definit, quod sit à quo aliquid procedit, quocunq; modo. Ubi *procedit* latè sumendum esse pro quacunq; consecutione, particula; *quocunq; modo* innuit.

4. Principium Essendi subdividi solet in Principium Quo & Quod. Principium Quod est, cui effectus in recto tribuitur. Principium verò Quo, est forma sive substantialis ea sit, sive accidentalis, vel aliquid per modum formæ, cui actio tribuitur in obliquo. Sicut e. g. *Aristot. 1. de anim. c. 4.* ait: Dicere autem irasci animam simile est ac si quis dicat eam texere vel edificare, melius enim fortassis est, non dicere animam misereri, aut addiscere, aut cogitare; sed hominem animam. Ubi actiones tribuuntur supposito homini se tanquam principio Quo in recto, animæ vero quæ est forma supposito data, in obliquo tanquam principio Quo. Licet vero sæpius distinguantur principia hæc duo, ut principium Quo non sit principium Quod, hoc tamen non perpetuo verum est, notante Gabriel Valquez *p. 3. disp. 22. q. 1. r. 2.* Sed sæpe principium illud Quo, suppositum agere dicitur est simul principium Quo; sicut e. g. Calor in aqua cum sit efficiens & principium



pium principale suæ actionis, actus sc: calefaciendi, & existat in  
subjecto nihil ad actum hunc conferente, sed tantum calorem su-  
stinate, rectè dicitur principium Quod calefactionis, & calefa-  
ctio ipsi tribuitur in recto: quod de calore quoq; in igne existente  
si quis diceret, meo quidem iudicio haud erraret.

5. Principio opponitur Principiatum, quod principii Cor-  
relatum esse negant nonnulli, illudq; quandam imperfectionem  
importare asserunt, eo quod omne Principiatum naturâ sit poste-  
rius principio, ab eoq; dependeat. Correlatum igitur principii  
dicunt esse id cuius est principium, vel ens quod est à principio, vel  
id quod est ab alio, contra quos sic argumentor: Quodcumq; à  
correlato ita respicitur, ut ab eo nomen ejus sit deductum, cum a-  
liud ipsi non sit impositum, quodq; se habet ad ipsum relatum, sic-  
ut alatum ad alam, & clavatum ad clavum, id est verum & genui-  
num ejus correlatum, juxta *c. 7. Categor.* Sed principiatum à re-  
lato hoc, quod dicitur principium, ita respicitur, ut nomen princi-  
pale ab eo sit deductum, cum aliud ipsi non sit impositum, & ita  
se habet ad principium sicut alatum ad alam, & clavatum ad cla-  
vum, quod nemo negare potest, E. principiatum est verum & ge-  
nuinum principii Correlatum. De natura vero principiatu ut sic  
non esse, ut sit posterius naturâ principio suo, facile cognoscitur ex  
eo, quod potest esse principium, quod non est naturâ prius prin-  
cipiato, quidni ergo poterit esse principiatum, quod non sit naturâ  
posterius principio, vi Relatorum. *Pater* enim in divinis ex sen-  
tentia nostratum est principium *Filii*, nec tamen naturâ prior *Filio*,  
aut si *Pater* esset naturâ prior filio, *Filius* utiq; naturâ posterior *Pa-  
tre*, quod impium & falsum. Et hæc de Principiis in hmine di-  
xisse sufficiant: Ulterius nos ordo deducit ad ipsas Causas, quam  
primò communiter describemus, deinde singulas in specie vide-  
bimus.

6. Sumitur vox *Causæ I.* in latiore acceptione, prout re-  
ciprocatur cum Principio, quo sensu *Aristot.* *12. Met. 1. 12.* Priva-  
tionem vocat causam. *II.* in strictiori significatione pro omni ac  
solo eo, à quo aliud dicit dependentiam. *III.* à Platone strictissimè



pro sola Efficiente causa. In secunda significatione hic à nobis  
Causæ vocabulum sumitur.

7. Aristoteles nullam nobis definitionem Causæ in genere  
reliquit, unde ejus sequaces varias excogitarunt, quas hic exami-  
nare nolumus. Optima videtur quæ proponitur à *Suares. l. c. s. s.*  
*Causa est principium per se influens esse in aliud.* Quam commu-  
niter ferè hodie recipiunt interpretes, eamq; probat *Anton. Ruv. 2.*  
*Phys. c. 7. tr. 1. Mendoz. disp. Phys. c. 8. § 1.* Generis loco ponitur  
*principium.* omnis enim causa est principium, sed non contra;  
omne principium est causa. Sicut Privatio est principium, gene-  
rationis non tamen est Causa *1. Phys. c. 7.* Primum punctum Li-  
nearæ est principium, causa tamen ejus dici nequit.

8. Dicitur porro quod sit principium *Per se*; quibus ver-  
bis excluduntur Causæ sine qua non, & Causæ per accidens, quæ  
licet conjungantur Principio per se causanti, non tamen conferunt  
Esse *Per se* causato. Nota quoq; vocabula *Influxûs* sive *influere*;   
quæ voces æquipollent verbis dandi & communicandi *Esse*, si-  
mulq; expriment id, quo causa, in actu, formaliter & proximè  
constituitur in esse Causæ, & à Privatione & à reliquis principiis, à  
quibus aliquid procedit, distinguitur. Non igitur sumitur hic *In-  
fluere* strictè, prout nihil aliud est quàm agere sive efficere; aliàs  
enim reliquæ causæ non essent causæ.

9. Sed duo h. l. nobis objiciuntur: I. Pater in divinis est  
principium influens Esse in Filium; juxta fidem. Pater in divinis  
non est Causa Filii, E. Quoddam quod non est causa, est princi-  
pium influens esse in aliud, & sic definitio latior est definito. II. Ca-  
lor influit esse in aquam scil. esse calidum. Calor non est causa  
aquæ, E. quoddam, quod non est causa, influit esse in aliud. Ad  
1. respondetur plus esse in conclusione, quàm fuit in præmissis,  
prædicatum enim Majoris est principium influere in Filium; præ-  
dicatum vero Conclusionis, quod idem debebat esse cum prædi-  
cato majoris est, principium influens esse in aliud; aliud vero est  
influere esse in Filium, aliud influere esse in aliud; si priori modo  
inferatur conclusio, non est contra nos, licet enim Pater influat esse



in Filium, Filius tamen non est aliud à Patre; sed alius. Particula enim *ALIUD* in definitione causa substantive & neutraliter accipitur, adeoq; importat distinctionem & alietatem Essentia. Major igitur debebat formari h. m. Pater influit esse in Filium tanquam aliud, quod falsum esse apparet. Mendoza *Disp. Phys. s. f. 1. §. 4.* rejicit hanc responsonem; sed veram eandem esse; Mendozam vero petere principium in conflictu probabimus. Ad 2. Quando dicitur causam influere esse in aliud, hoc intelligendum est de Esse intrinseco & essentiali, ita ut Esse illud quod largitur causa effectui, sit eidem essentiali & intrinsecum; calor vero cum non sit intrinsecus & essentialis aquæ, ignis non est causa aquæ, & sic falsa est major. 2. aqua potest considerari dupliciter: 1. simpliciter & absolute, 2. quatenus est calida. Licet igitur ignis non sit causa aquæ simpliciter & ratione suæ naturæ, consideratæ; est tamen causa aquæ quatenus est calida; tribuitur enim aquæ calidæ calor, per quem constituitur in esse calidi; negatur igitur minor argumenti.

10. Aristoteles 2. *Phys. c. 3. §. 5. Met. e. 2.* quatuor constituit causarum genera, Efficientem, Materialem, Formalem & Finalem. quæ divisio non est per membra realiter, sed formaliter tantum opposita, diverso enim respectu una eademq; causa potest exercere causalitates diversarum causarum, ut hoc patet in anima, e. g. rationali, quæ est causa materialis & efficiens respectu actus intelligendi. Possunt tamen dari divisiones causæ magis immediate.

11. Causa enim vel est Realis vel Intentionalis. Illa est quæ realiter influit esse in effectum, ad quem influxum realis quoq; requiritur existentia: Sicut Efficiens, Materia & Forma, non influunt in effectum, nisi ubi realiter existunt. Illa est, quæ influit in effectum influxu intentionali, ad quem non requiritur necessario realis extra mentem existentia, ut in causa finali hoc inferius fieri videbimus.

12. Causa alia est Interna, aliâ Externa Interna est, quæ in eodem genere causæ alicujus effectus essentiam ingreditur, sicut materia & forma constituunt compositum naturale. Dicitur

tur



que vero *alicujus*, non enim necesse est causam internam cujuslibet effectus essentiam ingredi. Materia enim est causa interna, quæ tamen essentiam formæ, cujus respectu est causa materialis, non, ingreditur; sed sufficit, quod ingrediatur essentiam compositi. Externa est, quæ in eodem genere causæ nullius effectus essentiam ingreditur, sicut Efficiens & Finis. Dicitur *in eodem genere cause*, quia in diverso genere causæ potest efficiens ingredi alicujus effectus essentiam. Sicut v. g. anima rationalis est causa efficiens operationum sc. vitalium, ingreditur tamen essentiam hominis, non quidem quatenus est efficiens, sed quatenus forma. Ex quibus patet falsò à quibusdam definiri Causam Internam, quod ingrediatur Essentiam effectus; Externam v. quæ non ingreditur essentiam effectus. Tantum de causa in genere. Sequuntur Causæ in Specie & primo quidem Internæ Materia & Forma.

13. vocabulum materiæ sumitur tripliciter. 1. pro omni eo, quod aliquo modo potest limitari & contrahi ab alio, sive sit realiter ab eo distinctum, sive solâ ratione, & dicitur materia Metaphysica, h. m. genus dicitur materia respectu differentiæ, à quâ limitatur & restringitur saltem per intellectum; ita in objecto scientiæ alicujus duo occurrunt, *materiale*, quod est res ipsa, quæ consideratur & deinde *formale* sive modus considerandi, per quem objectum in esse objecti talis scientiæ constituitur & à reliquis omnibus objectis distinguitur. 2. pro eo quod realiter determinatur ab aliquo realiter distincto, sicut quodlibet subiectum est materia respectu suorum accidentium realiter inhaerentium. 3. Pro subiecto formarum substantialium, quod formæ unitum compositum constituit, & vocatur materia Physica, quæ definitur 2. *Phys* 1. 28. quod sit id, ex quod aliquid fit, cum infit; sive ut habetur 5. *Met.* 1. 2. Ex qua inexistente aliquid fit. Ubi dicunt interpretes vulgo, particulam *Ex* sumendam esse pro habitudine subiecti, ne forma etiam sub istis definitionibus comprehendatur. Materia vero & subiectum h. l. non sumuntur pro sola materia prima, sed pro omni eo etiam, quod suscipit aut susten-



sustentat aliquam formam, quomodo sub se comprehendit materiam educationis, inhæfionis & compositionis.

14. Sicut autem quælibet Causa tria includit 1. Virtutem sive rationem causandi, per quam causa constituitur in actu primo. 2. Causalitatem sive actualem causationem quæ nihil aliud est, quam ratio formalis, per quam causa constituitur in ratione causæ, sive actu secundo. 3. Effectum in qui dependet à causa; ita etiam hæc in materia propriè sic dicta reperiuntur.

15. Ejus vero Ratio causandi est potentia passiva sive receptiva, ratione enim hujus forma dependet à materia, eidemque unitur quatenus sc. è potentia ejus educitur, &educta in eadem recipitur, tanquam in subjecto. Quicquid vero recipit illud patitur, quicquid vero patitur, patitur ratione potentiæ passivæ, sicut quicquid agit, agit ratione potentiæ activæ; sicut igitur potentia activa est ratio causandi causæ Efficientis; ita potentia passiva est ratio causandi causæ materialis. Est vero ejusmodi potentia ipsa Entitas & Substantia materiæ, secus ac sentit *Zabarella lib. 1. de mat. prim. c. 9.* aliàs enim daretur progressus in infinitum. Nam illa potentia si esset accidens realiter à materia distinctum, in eam utiq; esset receptum, aliàs enim ne accidens quidem ipsius esset. E. receptum est per potentiam receptivam, nihil enim recipit aliquid, nisi per potentiam receptivam. De hac vero potentia quæritur, num sit accidens aut substantia, si hoc, habeo quod vole nempe non omnem potentiam passivam esse accidens; si illud, recipitur per aliam potentiam recipiendi priorem; de hac vero iterum redit quæstio, nam sit substantia vel accidens, & sic in infinitum. *Johann de Radâ p. 2. controvers. a. 1.*

16. Causalitatem verò Materiæ quod Spectat, sciendum ex supra dictis, rem posse considerari dupliciter, vel in fieri vel in facto esse, cum vero materia suam causalitatem tam circa formam, quam circa materiam exerceat, ut paulò post probabitur; ejus causalitas respectu formæ & compositi in fieri, est generatio sive actio, non ut procedit ab agente, sed ut recipitur in patiente; posita enim hac actione generationis ut recepta in materia, et-

B

iamfi



iam si nihil adsit reliquorum, materia constituitur ut actu causans; circa compositum & formam in fieri. E. actio hæc erit causalitas ejus. Illud enim est causalitas alicujus causæ, per quod causa formaliter constituitur in ratione causæ. Antecedens per se notum est. Causalitas verò materiæ respectu formæ & compositi in facto esse est unio, concepta enim hac unione inter materiam & formam, materia concipitur ut actu Causa formæ & compositi in facto esse. E. erit ejus causalitas respectu formæ & compositi in facto esse. Si enim concipiam quod materia recipiat formam, eamq; sustentet, statim concipio materiam actu esse causam formæ & compositi in facto esse, & si hoc non concipio, eadem etiam non concipitur, ut actu causa *Syaretz tom. 1. disp. Met. 5. s. 9. Ruy. 2. Phys. 17. 2.* Ubi notetur egregiè falli & fallere eos, qui rationem formalem generationis potius ponunt in productione partium, quam unione, cum generans possit generare aliud, cujus tamen neq; materiam neq; formam producit.

17. E quibus sequitur effectum materiæ non tantum esse compositum, verum etiam ipsam formam, cum utrumq; dependeat à materia in esse & fieri, ut de composito imprimis notum est. Formam verò educi è potentia materiæ, tam certum est, ut rationem eductionis è potentia materiæ prorsus ignorent, qui eandem negant & destruere hodie conantur cum *Sebastiano Basso Philos. Natural. lib. 1. de forma*: nostram assertionem ulterius sic probat: A quo ratione potentiæ passivæ forma dependet, id est, causa formæ; à materia ratione potentiæ passivæ forma dependet. E. Maj. pr. à quo ratione potentiæ activæ aliquid dependet id est causa ejus agens sive efficiens, quidni etiam id à quo ratione potentiæ passivæ aliquid dependet erit ejus causa, par enim utrobique est ratio. Min. pr. Forma enim dependet à materia in esse, fieri & operari, eam autem potentiam esse passivam certo certius est. Formam verò dependere à materia non tantum verum est de formis rerum materialibus, quæ secundum esse suum absolutum & formale sive quatenus sunt formæ à materia dependent, verum etiam de formis rerum immaterialium, quas nonnulli cum *Aristotele*



fiorele extrinsecus accedere & creari, adeoq; introduci potius in materiam, quam è potentia ejus educi affirmant. Licet enim hæ secundum esse suum absolutum, quatenus naturaliter à materiæ separatæ esse & subsistere possunt, à materia non dependeant; ab eadem tamen dependent, ut sunt actu formæ sive ratione unionis & informationis. Licet vero tam forma quam compositum sit effectus materiæ; Compositum tamen est effectus adæquatus, forma vero inadæquatus; forma enim continetur in composito tanquam pars, & causatur à materia propter compositum, tanquam propter id quod per se & primariò intenditur.

18. Materia est vel Prima vel Secunda. Quæ divisio dupliciter potest sumi. 1. Ut materia prima dicatur, quæ ita est subjectum alicujus, ut non constet ex subjecto priori, sicut sumit Arist: 1. *Phys.* t. 28. Secunda verò, quæ ita est subjectum alicujus, ut constet ex alio subjecto priori, tales materiæ sunt substantiæ compositæ, e.g. ignis, aqua, respectu suorum accidentium. 2. Sumitur ut saltem est distinctio unius rei in diversas formalitates sive considerationes & dicitur Materia Prima, quæ saltem per intellectum caret qualitatibus & dispositionibus, quæ requiruntur pro formâ certâ & determinatâ introducendâ. Secunda vero dicitur quæ consideratur ut habens tales dispositiones. Cum enim non quodlibet recipiatur in quolibet, sed certa & determinata forma incerta materia, i. e. sufficienter disposita & ornata iis qualitatibus & dispositionibus, quas forma requirit pro sui introductione. Materia hoc modo disposita vocatur Secunda.

19. Nomine igitur materiæ primæ propriè intelligitur id quod est subjectum commune transmutationis substantialis, quam cum quotidie fieri animadvertamus, utiq; ejus subjectum, in quo fit, erit ens actu & de facto in mundo, secus ac sentit *Sebastianus Basso* l. 1. *Philos. Natur.*, quia id quod non existit, non potest esse subjectum recipiens aut sustentans alicujus mutationis. Nec obstat materiam esse puram potentiam. E. non potest habere aliquem actum. Non enim quilibet actus opponitur cuilibet potentiæ, sed actui formali opponitur potentia receptiva, Entitativo



vero objectiva. Licet igitur materia prima sit pura potentia receptiva, & expers ratione suæ naturæ omnis actûs formalis: habet tamen actum Entitativum, per quem constituitur extra nihil, quod nobis sufficit. Unde simul infertur, materiam non esse ens actu per formam; sive eam non existere aliena scilicet formæ existentia, sed existentia propria, cum habeat essentiam realiter & citra mentis operationem distinctam ab essentia formæ. E. utiq; etiam existentiam habebit realiter ab existentia formæ diversam, cum essentia & existentia non nisi ratione distinguantur.

20. Materia alia est *In qua, Ex qua, Circa quam*. Quæ divisio vel intelligitur. 1. cum *Fonseca s. Met. c. 2. q. 1. s. 1.* secundum diversas formalitates sive officia unius materiæ; ita ut eadem materia sit *Ex qua* respectu compositi, quod ex ea constat, *In qua* respectu formæ, quam sustentat, *Circa quam* respectu agentis naturalis, quod circa eam versatur. 2. Ut sit divisio ex parte materiæ in materias diversas, ita ut materia in qua & ex qua sit subiectum ex quo compositum fit & constat & in quo forma existit; materia vero circa quam, nihil aliud sit, quam objectum potentiæ agentis actione immanente, & ipsius etiam actionis, immanentis, sicut color est objectum visus; sonus auditus. Ubi simul notetur materiam *Ex qua* posse considerari dupliciter, 1. in ordine ad compositum, quod ex eadem componitur, & sic est causa interna, ingreditur enim essentiam ejus. 2. In ordine ad formam, quæ est potentia ejus educitur, & sic habet aliquo modo rationem Causæ Externæ, non enim forma ex materia componitur, sed ex ea educitur, quo sensu etiam accidentia habent materiam ex qua educantur.

21. Materia est vel Permanens vel Transiens. Illa est ex qua aliquid est vel fit, salva manente ejus essentia, quale est aurum respectu poculi quod ex auro constat. Hæc est, ex qua mutata nec essentiam suam retinente res fit, ut semen & sanguis respectu animalis, quando enim ex illis animal generatur, non manent, sed mutantur.

22. Materia vel est Proxima vel Remota. Proxima est ex qua



ex qua immediate aut non nisi unica transmutatione interveniente res constituitur. Remota est, ex qua mediata vel pluribus mutationibus intervenientibus res fit vel est, sic panis est materia remota respectu seminis, quia prius ex pane fit Chylus, ex chylo sanguis, ex hoc deniq; semen; sanguis vero respectu seminis est materia proxima.

23. Post Materiam agemus de Forma. Vocabulum v. formæ sumitur 1. pro omni à quo aliquid denominatur, sive sit Ens reale sive rationis & vocatur aliàs forma denominans, quæ modo reperitur in re denominata ut albedo in pariete, & constituit de nominationem Intrinsicam; modo est extra rem denominatam, ut visio à qua res denominatur visa, unde oritur denominatio Extrinseca; & hoc modo etiam ipsa materia potest dici forma, quia ab ea aliquid denominatur materiale. 2. prout contra distinguitur Privationi & dicitur habitus; ita visus est forma sive habitus; Cæcitas vero privatio. 3. pro eo, quod aliquid determinat, limitat & restringit, sive sola ratione ab eo distinguatur, sive secundum rem; h. m. differentia vocatur forma Metaphysica, respectu generis, quod limitat & restringit ad certam speciem. 4. Deniq; sumitur pro altera parte compositi naturalis, materiæ contradistincta & definitur *Aristoteli 2. Phys. t. 28. quod quid erat esse rei*, i. e. forma est id quo compositum potissimum in sua specie constituitur. *Suarez. disp. met. 15. f. 5. est substantia incompleta*, quæ ut actus materiæ cum ea constituit essentiam substantiæ compositæ, quomodo h. l. potissimum accipitur.

24. Dari vero formam in rebus naturalibus, certum est contra *Sebastian. Bassonem in Philosophia sua naturali l. cit.* cum in rebus naturalibus detur aliquid, quod sit principium intrinsecum radicale & actuale operationum, per quod unum compositum ab altero essentialiter distinguitur, quod formam dicimus. Quod principium certe non potest esse nihil, nec materia, quippe quæ non operatur, nec nuda accidentia, cum hæc tantum sint instrumenta, à quibus primario & radicaliter actio non semper promanat, nec faciunt unam rem ab altero differre essentialiter, quid?



quod si in rebus naturalibus nihil detur præter materiam & accidens, à quibus actio fluit, nullum compositum naturale erit Ens unum & per se; sed per accidens, quandocumq; enim accidens & substantia ununtur fit ex iis Ens per accidens, quod hæcenus fuit inauditum.

25. Effectus vero Formæ est Compositum; minime vero materia. Suam enim ipsius essentiam largiendo forma compositum constituit. Materiam vero secundum se, sive quoad proprium suum esse non esse effectum formæ (materia enim quando consideratur prout à forma informatur, cum sit ipsum compositum, ipsum effectum esse formæ ultra antea concessimus) secus ac putant Cajer, Favell. & alii è tribu Thomistarum s. Met. q. 1. facile probari potest: Si enim esse materiæ esset à forma, sequitur quoties materia perdit suam formam, toties eandem quoq; amittere proprium esse sed posterius est absurdum. E. Materia enim cum proprium esse habeat perpetuum, idemq; semper manens licet sub diversis formis, cur mutatione formæ interiret? quod non tantum verum est de esse essentia; verum etiam existentia, propter realem horum identitatem.

26. Ratio vero causandi Formæ nihil aliud est, quam ejus entitas sive Essentia. Si enim ratio causandi formæ esset accidens ejus, ex materia & forma non fieret unum per se, forma enim secundum rationem suam causandi ingreditur essentiam compositi. 2. Potentia actuandi est de essentia actus sive formæ; essentia enim actus in hoc consistit, quod sit actuativus potentia, sed ratio causandi est potentia actuandi; actuatio enim materiæ est causalitas formæ. E. ratio causandi erit potentia actuandi, Sicut quia actio est causalitas causæ Efficientis, propterea potentia agendi est ratio causandi effectus. E

27. Causalitas vero Formæ est unio inter materiam & formam, prout illa sumitur ex parte formæ, quomodo aliàs dici solet actuatio sive informatio materiæ, quia causalitas formæ non est Entitas materiæ, quia entitas unius causæ non potest esse causalitas alterius causæ, causalitas enim est ratio formalis, per quam aliquid constituitur in ratione causæ. Neq; entitas formæ potest esse



esse causalitas formæ, omnis enim causalitas est modus distinctus ab entitate causæ, neq; causalitas formæ est nisi sit actu secundo forma; sed entitas formæ non est modus à forma distinctus, atq; est formæ entitas, licet actu non informet, ut probat exemplum animæ rationalis à corpore separatæ.

28. Forma alia est Interna alia Externa. Quæ distinctio dupliciter potest sumi 1. ut forma Interna dicatur, quæ intimius materiam penetrat, nec tantum superficiem corporis inhæret, ut v. g. anima, & calor in igne; Externa verò quæ solum in superficie corporis existit, ut figura respectu rei cuius est figura. 2. Forma Interna dicitur Causa Intrinseca à materia distincta, cum ea compositum constituens; Externa verò nihil aliud est quam exemplum sive idea, juxta cuius similitudinem artifex aliquod opus elaborat; sive illa idea sit materialis & extra animum existens, qualis est imago aut scriptura quam imitandam sibi proponit aliquis; sive Intentionalis, quæ in animo est concepta, cuius etiam respectu potest dici Interna causa; licet respectu effectus sit externa, quam nonnulli quoq; referunt ad causam Efficientem.

29. Forma est vel Assistens, quæ nullam habet unionem physicam cum re cui assistit, sed tantum propinquitatem ad illam movendam, ut navis respectu navis, & Intelligentia ex mente Philosophi respectu cœli; vel Informans, quæ actuat & informat materiam per communicationem propriæ suæ entitatis, sive quæ unione physica conjungitur subjecto, juxta Mendoz. disp. 1. de anim. f. 2.

30. Forma alia est Substantialis, alia Accidental. Illa est, quæ cum materia compositum per se constituit. Hæc vero quæ cum subjecto constituit Ens per accidens. Nec obstat quod accidentia non habeant formam. Aliud siquidem est forma accidentis, aliud forma accidentalis; dicitur forma accidentalis, non quod accidens informet, sed quod sit ipsum accidens.

31. Huc nonnulli quoq; referunt distinctionem formæ in Genericam, Specificam & Numericam. Generica ipsis est, quæ dat esse genericum, ut anima sensitiva dat esse animalis. Specifica,



fica, quæ constituit certam speciem, ut anima rationalis respectu hominis. Numerica, quæ dat esse singulare. Hanc vero divisionem volunt esse in formas realiter diversas, quod negamus: si enim unica forma Accidentalitatis potest tribuere plura prædicata subordinata, quidni hoc etiam poterit præstare forma Substantialitatis, Sed prius est verum, E. Conseq. tam diu stat, donec profertur diversitatis ratio. Min. pr. albedo enim dat lacti esse album coloratum quale &c: quæ omnia præcisè reliquis omnibus formis ab unica albedineveniunt. Est igitur hæc divisio solum sumenda secundum diversitatem graduum & conceptuum ejusdem formæ in uno eodemq. subjecto. *Vide Svaretz. disp. cit. f. 10. Ruy. 2. de anim. q. 6.*

32. Forma est vel Materialis vel Immaterialis. Illa dicitur, quæ à materia dependet in esse & fieri, sicut e. g. forma bovis non potest naturaliter fieri & subsistere extra corpus bovis; multo minus extra illud operari. Immaterialis est, quæ citra materiam subsistere apta nata est, ut anima rationalis, quæ à corpore separata subsistit, vult & intelligit, nec interitui est obnoxia, ut animæ brutorum.

33. Forma dividitur in Totalem & Partialem. Totalis est, quæ informat omnes partes continui heterogenei, ut anima quæ omnes informat partes animalis. Partialis est, quæ non totum heterogeneum, sed aliquam ejus partem informat, ut forma Epæpæ, ventriculi, lienis &c. Hanc nonnulli negant, quam tamen dari satis probabile est. Sequuntur Causæ Externæ.

34. *Aristot. 2. Phys. c. 3. & 5. Met. c. 2.* Causam Efficientem desinit: *Unde est primum principium mutationis aut quietis.* Quæ definitio præterquam quod causæ finali, quæ efficiens movet ad agendum, competat; omnem tamen causam efficientem, si vocabulum *Mutationis* propriè sumitur, non complectitur, Deus enim quando creat sive ex nihilo aliquid producit est certè causa efficiens, nec tamen est principium mutationis, creatio namque non est mutatio, quæ subjectum in quo fiat, necessario præsupponit. *Hinc Raphael Averfa q. 14. Philos. q. 1.* mutationem ample pro



pro qualicumq; actione & productione, qua aliquid efficitur, su-  
mendam esse ait. Mihi placet definitio *Mendoz disp phys. 19. s. 2.*  
Causa Efficiens est principium per se influens esse in aliud sine  
mutatione tamen ex p̄cisa ratione influxus.

35. Causalitas verò Efficientis est Actio, juxta *Raphael.*  
*Aversa. l. cit. q. 4. Svaretz. disp. Met. 18. s. 10.* Actus enim effe-  
ctivi est Causalitas sive ratio formalis efficientis, efficiens liqui-  
dem nihil aliud est, quam effectivum actuatum sive in actum de-  
ductum. Sed actio sive effectio est actus effectivi, juxta *Philos. 3.*  
*Phys. t. 19.* Necesse est, inquit, fortassis esse quendam actum alium  
effectivi atq; passivi; Illud enim actio est, hoc vero passio. E. a-  
ctio erit causalitas sive ratio formalis efficientis. Quæ Causali-  
tas non tantum inest substantiis; verum ipsis quoq; accidentibus,  
quæ dicuntur agere & efficere. Sicut e. g. calor ignis agit in  
aquam. Unde etiam oritur distinctio qualitatum primarum in acti-  
vas & passivas ex princip. 4. *Meteor.* Hinc per se fluit, rationem  
causandi sive id per quod causa efficiens constituitur in actu pri-  
mo, esse potentiam activam, quæ non necessario realiter est distin-  
cta ab eo cujus est potentia, ut pluribus probat *Mendoza disp phys.*  
*9 sect. 1.*

36. Divisionem & distinctionem Causæ Efficientis quod  
concernit, distinguitur ea primò in *Veram & Causam sine qua non.*  
Illa modo fuit definita. Hanc vero, eo ipso quod veræ causæ op-  
ponitur causam non esse satis intelligitur. Quod enim non re-  
vera tale est, tale non est, sicut quod verus Deus non est, ne Deus  
quidem est. Est igitur causa sine qua non id, quod non influit in  
effectum, effectus tamen sine eo esse aut fieri nequit, ita visio non  
fit nisi medium intercedat inter visum & objectum visibile 2. *anim.*  
*e. 74.* medium tamen in nullo genere causarum est causa visionis.  
Ita agens non agit in patiens, nisi debite approximatum, illa ta-  
men approximatio non est causa effectus.

37. *Ex 5. Met. t. 2. & 2. Phys. t. 34.* nonnulli eruunt distin-  
ctionem Causæ in *Causam actu & potentia.* Causa actu est, quæ  
revera & actu influit in effectum, ut architectus quando edificat;  
Causa potentia est, quæ actu quidem non influit in effectum, po-  
test

C

test



res tamen influere, sicut architectus dormiens aut edificans est causa potentia edificationis. Quæ distinctio cum priori ad omnia causarum genera potest extendi, licet ambæ maximè illustres sint in causa efficiente. *Sub causa potentia non tantum comprehenduntur creature; sed ipse quoque Deus, contra Fonseca. 7. Met. c. 8. q. 4. s. 7.* qui putat Causam in potentia Deo attribui non posse, cum imperfectionem quandam & indigentiam præ se ferat, dependentiam scilicet à causa superiori, cujus concursum expectare cogatur causa inferior, ut actu possit causare. Verum cum ad *Tō* potentia sive in potentia, duo requiruntur sc. non repugnantia & deinde negatio actus, evidens est, Deum ante rerum creationem fuisse Causam efficientem potentia, tum enim non creavit, cum tamen creare potuerit, adeoque ab omni æternitate habuit potentiam creandi. Neque verum est, esse causam potentia, importare imperfectionem aut indigentiam, posse enim creare, actu nullam certè importat imperfectionem & indigentiam, & à Fonseca quoque Deo tribuitur; quod vero imperfectionem importat à Deo est alienissimum. Quod igitur interdum aliqua causa actu non causet, cum tamen causare possit, profuit potius ex libero ipsius arbitrio & voluntate, quam ex imperfectione & indigentia, ut patet in agentibus cum Intellectu & voluntate, quæ positis omnibus ad agendum requisitis possunt agere & non agere, concedente *Fonseca 9. Met. c. 2. q. 1. s. 3.*

38. Celebris & vulgaris est divisio Causæ in Causam per se & per accidens, quam proponit quoque *Philos. l. cit.* Hic vero sicut nullam nobis reliquit definitionem Causæ in in genere; ita neque explicavit, quid sit causa per Accidens in conceptu suo generali. *Soncinas 12. Met. q. 3. Causam Per se dicit eam, quæ virtute propria producit effectum.* Ubi per virtutum propriam non ea solum, quæ alicui essentialiter convenit; sed ea quoque, quæ sequitur essentialiam, sive quam res necessario & naturaliter requirit, intelligitur: *Causa autem per Accidens est, quæ non virtute propria producit effectum.* Dividitur vero in eam quæ vel talis est ex parte cause, vel talis ex parte effectus. Causa per Accidens ex parte Causæ est, quando alicui, quod conjungitur cum causa per se, tribuitur effectus.



effectus, quod fit dupliciter; vel enim id, cui per Accidens Attribuitur, est subiectum causæ Per se, v g. quando dico: Polycletus efficit statuam, Johannes scribit; Causa per se statuæ est statuarius, cui accidit quod sit Polycletus, Scriptionis causa per se est scriba, cui accidit quod sit Johannes. Polycletus vero est subiectum artis statuariæ, & Johannes est subiectum artis scribendi: Vel id cui tribuitur effectus per accidens est aliud quoddam accidens, ut, Musicus ædificat, cui accidit quod sit Musicus, suntq, architectonica & musica accidentia unius subiecti, ita musicus per se canit, cui accidit, quod sit statuarius. *Causa per Accidens ex parte effectus est, quando aliquid dicitur esse Causa alicujus, quod cum effectu per se coheret aut ei accidit.* Quæ triplex est; quædam enim intendit effectum, cuius respectu causa per accidens dicitur, sed in eum non influit, sic e. g. lapis utri impositus in aqua, quod exemplum est *Philos. 8. Phys. 1. 32.* idq, tu scias, si tollas lapidem, duplex oritur motus, unus lapidis, cuius es causa per se; aliter utris sursum, quam primùm enim lapis removebitur uter adscendet, cuius motus sursum tu eris causa per accidens, eò quod conjungitur cum motu, quo removebitur lapis, licet in utrem, ut sursum feratur, non influas, cum ille ex intrinseca sua levitate sursum feratur. Sic quod sciens removet columnas, quibus domus ininitur est causa per accidens ruinæ domus; quædam vero influit in effectum; sed eum non intendit, ut si quis ligna findens sublata securi, feriat stantem à tergo, quem ibi stare nesciebat, is ratione istius influxus & percussione est causa per se; dicitur tamen causa per accidens, quia præter cognitionem & voluntatem hoc factum fuit; quædam deniq, nec influit nec intendit, ut si quis lapidem tollat utri impositum, quem ei impositum esse ignoret, isq, eo sine non tollat, ut uter sursum feratur: Notandum quoq, ex *Armand. de Bello Vis. tr. 2. term. tripliciter* fieri ut aliquid sit causa per accidens ex parte effectus 1. quando aliquid actionem vel effectum agentis per se comitatur necessario sive ut plurimum, quomodo removens impedimentum sive prohibens dicitur causa per accidens, ut modo dictum *ex 8. Phys. 1. 34.* 2. Quando aliquid raro conjungitur cum effectu per se, ut si quis Lubecam abiens inveniat



niat thesaurum. quo pertinent *Casus & Fortuna*, de quibus *2 Phys.*  
*c. 4. 5. & 6.* 3. quando illa conjunctio tantum fit ratione tem-  
poris; Ut si quid agas, fieri potest, ut tibi tanquam causa tribua-  
tur id quod eodem tempore contingit, etiam si cum tua actione  
nullam habent connexionem; ut si te ingrediente hypocaustum  
infans decidat de mensa, vel cum aliquo ingrediente coruscat.  
*1. post. t. 9.* Ex quibus simul intelligitur, *Omne id, cum cuius effectu*  
*per se accidentaliter conjungitur aliud, esse causam per accidens illius.*  
*Et; quicumq; removet id, quod impediēbat illud, quod cum effectu per*  
*se accidentaliter conjungitur, est causa per accidens illius.* Causa  
vero efficiens per accidens non est causa vera & proprie sic dicta,  
cum non influat in effectum. Nam *Id per accidens est determi-*  
*natio tollens sive alienans rationem Cause, sicut mortuum esse tollit*  
*rationem formalem hominis, sicut igitur, non sequitur: Hoc est*  
*homo mortuus E. est homo; hæc manus est mortua, E est ma-*  
*nus 4. Meteor. c. 12. 1. de part. anim. c. 1.* ita nec valet consequen-  
tia, est causa per accidens E. est Causa.

39. Huc quoq; pertinet distinctio Cause in *Physicam &*  
*Moralem*. Causa Physica est, quæ revera influit esse in effectum,  
neq; solum sub se comprehendit causas naturales, verum etiam  
voluntarias. Sicut ignis est causa caloris in aqua, & homo est  
causa Physica suarum actionum. Moralisis est, quæ imputative  
solum influit in effectum i. e. quæ licet non realiter producat effe-  
ctum; ita tamen se gerit in ordine ad mores, ac si realiter influeret,  
quia non minus imputatur ei ad meritum vel culpam effectus, qui  
sequitur, ac si revera eum produxisset, tales sunt causæ appli-  
cantes, consulentes, præcipientes, non impediētes cum possint &  
debeant, e. g. incendiarius, qui ignem subjicit tecto, non est cau-  
sa physica combustionis, ipse enim non influit in domum ut com-  
buratur; sed ignis hoc facit absq; etiam omni concursu incendiarij;  
interim tamen quia applicat, agens patienti nempe ignem tecto,  
habetur pro causa combustionis, & ipsi imputatur effectus, qui se-  
quitur, ad poenam vel culpam. Quando vero quaeritur quomo-  
do ejusmodi causæ effectum producant, num per se, an vero per  
accidens, rectè respondetur *ex Bonavent. 4. distinct. 1. a. 1. q. 4.*  
Auton.



Anton. Ruv. 2. Phys. t. 4. q. 7. n. 5. id quod in genere physico est causa per accidens, posse esse causam in genere morum, quia ipsi recte imputatur effectus, etsi ipsum revera non produxerit; ita absentia vel incuria naucleri est causa physica per accidens submerisionis navis, est tamen causa per se moralis. Item alteri qui consultit seu suadet homicidium, licet in genere physico sit causa per accidens, homicidium, quia illud immediate non perpetrat; tamen in genere morum & imputativè verè censetur esse causa per se illius. Et hæc quoq; distinctio est vocabuli æquivoci in sua æquivocata; causa enim Moralitatis quatenus talis, revera non influit in effectum.

40. Causa efficiens est vel Principalis vel Instrumentalis. Sumitur verò causa *Principalis* h. l. 1. non pro causa prima & independente, non 2. pro supposito, neq; 3. pro eo, quod substituit in suum locum aliud, ut exsequatur, sunt enim tres hi modi rerum improprii, cum causæ etiam secundæ quæ priori modo essent instrumenta causæ principalis & virtus sine causæ supposito data, quæ secundo modo essent instrumentum etiam est causa principalis; tertius vero modus planè hic est inutilis; sed sumitur 4. prout definitur à Suarez. l. 6. pro causa, quæ influit in effectum per virtutem non ignobiliorem effectu producendo. *Instrumentalis* vero est, quæ influit in effectum per virtutem ignobiliorem, quàm ad effectum psoducendum requiritur, & idcirco ut ipsum attingat exaltatur à causa principali. Aliud vero est, causam instrumentalem ratione entitatis esse ignobiliorem effectu; aliud ratione virtutis & modi agendi; interdum quidem fieri solet, ut ratione entitatis instrumentum sit ignobilius effectu, ut calor respectu vermis, vel alterius substantiæ; hoc tamen non est perpetuum, est tamen instrumentum ignobilius effectu ratione Virtutis & modi agendi, qui ad effectum producendum requiritur, e.g. malleus est instrumentum fabri, quo alium malleum producit; malleus tamen producens non est ignobilioris entitatis quàm productus, licet virtus mallei producentis sit improporcionata effectui & ignobilior, quàm ad eum producendū requiritur. Ad effo: mandum n. alium malleum assumitur malleus tanquam instrumentū, & requiritur varius ejus motus, certo tamen modo determinatus



modo major, modo minor, modo sursum, modū deorsum, modo in dextrum, modo in sinistrum, donec forma artificialis imprimatur; quæ motus diversitas certè non est in in malleo, qui secundū internam suam naturam tantum uniformiter movetur, nempe deorsum; sed est in artifice, qui malleo utitur, unde ejus vis est ignobilior, quam ad effectum producendum requiritur, & hoc est instrumentum exaltari ab efficiente principali. *Sicut vero cujuslibet causa Instrumentali quat. talis virtus agendi est ignobilior, quam ad effectum requiritur; ita è contra cause Principali virtus activa semper debet esse vel nobilior effectu, vel saltem æque nobilis.*

41. Hinc Causa Principalis dividitur in Univocam & Æquivocam. Univoca est ejusdem speciei cum effectu, ut quando homo generat hominem *l. 1. de histor. animal. c. 1.* Æquivoca vero quæ est diversæ speciei ab effectu, ut quando homo & sol generant hominem, sol nonnullis est causa æquivoca respectu hominis. In hoc vero differunt Causa Univoca & Æquivoca *juxta Ruv. l. 6.* quod æquivoca semper est essentialiter perfectior suo effectu, & illam virtualiter aut eminenter includit. Univoca v. continet eum formaliter & ejusdem est perfectionis essentialis cum eo.

42. Causa Efficiens est vel Universalis vel Particularis. Quæ divisio secundum *Durand. 1. sent. dist. 35. q. 2.* dupliciter potest intelligi. 1. pro Universalitate prædicationis, quando *Universali causa est*, quam *Arist. 2. Phys. t. 32.* vocat, priorem cui secundum prædicatum quoddam generalius tribuitur effectus; & *Particulari*, quam vocat posteriorem, est cui secundum prædicatum quoddam specialius tribuitur effectus, & hoc modo distinctio illa non est in diversas causas secundum rem; sed solum secundum rationem; quando enim dico, Medicus curat, & Artifex curat, non significo duas causas realiter distinctas; sed exprimo secundum rationem causam conceptam modo specialius & distinctius, modo generalius & confusius. 2. Sumitur in ratione extensionis ad plures & pauciores effectus, & dicitur Universalis, quæ influit in effectum per actionem ex parte talis causæ ad eo indifferentem & indeterminatam, ut una vice ad plures alios, & specie diversos effectus, secundum idem concurrere apta nata sit;



sit; Sicut Deus concursu suo generali concurrat ad actiones cuiuslibet creaturæ, qui tamen secundum se est indifferens, non magis determinatus ad hanc vel illam actionem; determinatur vero ut hujus vel illius speciei effectus producat à particulari, cum qua Deus ad actionem illam concurrat. Neq; hinc sequitur ulla imperfectio in Deo, quia, ut Mendoz. ait *disp. phys. 10. f. 2. §. 16.* licet non sit causa totalis, nisi in ratione causæ primæ, id tamen non provenit ex ejus limitatione; sed ex summa bonitate, quæ voluit suum concursum cum creaturis quasi partiri. Dicitur ulterius *Una vice*, nam & causa particularis pluribus vicibus plures effectus potest producere, ut patet in homine. Quando vero dicitur *secundum idem*, innuitur, quod licet diversæ partes aut potentia plures producant effectus, non tamen oritur Causa Universalis, sicut quando homo oculis videt, auribus audit, manibus tangit &c. *Una etiam vice*; tamen est & manet causa particularis. Notetur etiam vox *Concurrere*, Causa enim Universalis habet respectum ad particularem, & ideo non videtur posse dici Causa Universalis, si sola producat plures effectus, neq; tamen cum Causis particularibus concurrat. Hinc Causa Particularis erit, quæ una vice tantum unum specie effectum producere potest; ut ignis ignem. Num vero Sol & Coelum respectu viventium sit Causa Universalis, non immerito dubitatur, cum non possit habere rationem Causæ æquivocæ.

43. Causa Efficiens vel est Interna vel Externa. Illa est, quæ cum effectu est in eodem subjecto, ut actus intellectus respectu animæ. Causam hanc Medici solent constituere duplicem, Antecedentem & Continentem. Illam, quam *αετιολογικη* dicunt, volunt esse dispositiones quasdam in corpore latentes, quæ morbum antecedunt, & è quibus morbus oriri potest, ut sunt Plethora; & Cacoehymia. Continens vero, quam *συνεχουσα* vocant, est quæ in corpore morbo proximè adhæret, cumq; fovet, ut humor respectu tumoris, & magnitudinis auctæ, calculus respectu obstructionis renum aut ureterum. Causa vero An ecedens proprie loquendo non est causa; Causa enim proprie est quæ actu causat; at Causa Antecedens non actu causat; licet effectum



fectum possit producere nisi impediatur. E. Externa est, quæ non est in eodem subjecto cum effectu, ut ignis respectu caloris in aqua. Notandum vero ex Zabarell. 1. cap. 10. de prop. necess. Internum & Externum sumi posse dupliciter: 1. ratione essentia, prout aliquid ingreditur essentiam rei vel non, & h. m. sumtum fuit supra, ubi causam in genere divisimus in Internam & Externam. 2. ratione subjecti, prout aliquid est vel in eodem subjecto cum aliquo, vel non; & h. m. sumitur in presentia.

44. Causa Efficiens est vel Totalis, vel Partialis. Totalis (quam & Solitarium vocant) est quæ influit in effectum sine alia Causa ejusdem ordinis in eodem genere: Partialis (quam Sociam vocant) est, quæ influit in effectum concurrente alia Causa ejusdem ordinis in eodem genere. Dicuntur vero secundum Nicolaum de Orbellis, Causæ ejusdem generis, omnes causæ Efficientes in se, omnes formales aut materiales in se. Diversi vero generis, quarum una est Efficiens, altera materialis, formalis aut finalis. Causæ vero ejusdem ordinis sunt, quæ in eodem genere sunt causæ æquæ primæ & immediatæ; æquæ universales vel particulares. Causæ vero diversi ordinis sunt, quæ licet sint ejusdem generis, una tamen illarum est mediata, altera immediata, una universalis, altera particularis. Quod vero ulterius addit de Orbellis, Causas ejusdem ordinis debere etiam esse ejusdem speciei falsum est, ut patet, si bos & equus simul trahant currum.

45. Causa vel est Naturalis vel Voluntaria. Sumitur verò h. l. Naturale, nõ prout opponitur morali & voluntarium sub se comprehendit; sed prout libero contradistinguitur, & definitur. Causa Naturalis, quæ ex sua natura determinata est ad unum effectum, sicut ignis naturaliter calefacit, non frigefacit. Causa Voluntaria est, quæ est indifferens ad oppositos effectus, sicut homo se habet indifferenter ad scribendum & non scribendum, positus etiam omnibus ad scribendum requisitis. Dixi; ex sua natura, quia licet etiam calor frigefaciat, cum ventres æstate sint frigidiores quam hyeme, l. 1. aphor. 15. Calor quoq; liquefaciat ceram, & induret lutum; non tamen propterea calor est causa voluntaria; quia calor hoc non præstat ex sua natura & per se, sed per accidens, quatenus



tenus nempe a stivo tempore calor externus poris apertis elicit inter-  
num, quo partes interiores destituta redduntur frigidiores, quod vero  
liquefaciat ceram, & induret lutum; hoc fit ratione materiae sive sub-  
jecti, eadem enim materia v.g. lutum non induratur a calore & simul  
liquefit; calor igitur non est indifferens ad oppositos effectus, ad quod  
requiritur juxta *Fonsec. 9. Met. c. 2. q. 1. s. 3.* ut aliquid circa eandem ma-  
teriam singularem opposita possit producere. Hæc de Causa Effici-  
ente & præcipuis ferè ejus distinctionibus. Sequitur Causa Finalis.

46. *Arist. 5. Met. c. 2. & 2. Phys. t. 29.* describit causam finalem, *cujus  
gratia aliquid fit*; sicut valetudo est causa deambulationis. Licet vero  
Finis sit Causa Intentionalis, non tamen repugnat, quo minus etiam fit  
causa realis, causat enim citra dependentiam ab operatione mentis, si-  
cut deambulatio est propter Sanitatem, quam causat Sanitas ut finis,  
etsi nemo cogitet deambulationem eam causare. Erit igitur causa rea-  
lis, sed cum deminutione, quia simul est intentionalis, secus ac effici-  
ens materia & forma, quæ ita reales sunt, ut non simul sint intentiona-  
les, bene siquidem una stare possunt, esse reale & intentionale, ita ut  
intentio aliquid sit, & simul res sit, juxta *Scot. 2. diff. 12.*

47. Virtus v. causandi Causæ Finalis non est apprehensio; sed bo-  
nitas vel vera vel apparens tantum, cum hæc sit illud secundum quod  
aliquid movet & alliccit appetitum, tanquam sibi conveniens, sicut id  
solū movet visum quod eidem est proportionatū, quod de malo for-  
maliter dici nequit, quod notandum contra *Occā. 3 sent. q. 13. dub. 3. quæ  
vult Voluntatē appetere malum sub ratione mali*; ex quo sequeretur ma-  
lum esse rationem causandi causæ finalis; omnis n. ratio, per quam ali-  
quid aptum natum est appeti, est ratio causandi causæ finalis; siquidem  
per quam aliquid aptū est movere, & alliccere voluntatē, est ratio cau-  
sandi finis, quia movere & alliccere appetitum est ipsa causalitas finis ut  
paulò post videbimus; sed omnis ratio per quam aliquid aptū natum  
est appeti, est etiam ratio per quam est aptum movere & alliccere appe-  
titum; aliquid n. movere & alliccere Voluntatem nihil aliud est, quam  
ipsum appeti. E. Inquis? Potentia in primis rationalis est oppositorum  
*9. Met. t. 3.* sed voluntas est potentia rationalis; est enim *ἐν τῷ λόγῳ 3. d.  
an. t. 4. e.* E. tam ad bonum quam ad malum se extendit. & Major falsa  
est de omnibus oppositis Non n. omnium oppositorum est eadē po-  
tentia, ut visus est albi quidē & nigri, sed non est calidi & frigidi, amari

D

& dul-



& dulcis. Est igitur potentia oppositorum eorum, quæ sub objecto eius comprehenduntur; quod de malo negamus. Apparentem tamen bonitatem non arbitrator confictam à ratione, sed vel esse realem, non quidem quæ re ipsa omni appetibili inest, sed quæ verè reperitur in aliquo objecto & solum per rationem applicetur appetibili, cui non convenit.

48. Bonitas quæ est virtus cauſandi, est bonitas tam honesta, quam delectabilis, hæc enim per se sunt appetibiles; & quidem de honesta per se liquet, de delectabili non solum docet *Phil. 10. Eth. c. 2.* ubi ait, Voluptas esse per se experibilem, sed etiam constat experientia multos præcise sistere in bono delectabili, de honesto parùm esse sollicitos. Bonitas v. utilem non sufficere ad rationem finis, ex eo colligitur, quod non sit appetibilis per se, sed tantùm per accidens, nempe ratione finis, unde communiter dicitur, utile quia tale non habere bonitatem intrinsecam, sed totam extrinsecè participare à fine, & licet etiam utile habeat aliquam in se convenientiam, propter quam potius hæc res utilis dicatur, quam alia quæ non habeat talè convenientiam: illa tamen ad talem finem non est ratio appetibilitatis; sed potius conditio applicans mediis bonitatis finis. Unde etiam media qua talia, cum utilis tantùm rationem habeant, non habere bonitatem intrinsecam & per consequens non habere rationem finis, constat.

49. Causalitas Finis est *motio sive actio metaphorica* & de gen. 1. 55. Est enim effectiva Causa, inquit, unde principium motus, cujus autem gratia non effectiva, ideo sanitas non est effectiva nisi secundum translationem. Actio igitur Voluntaris, ut dicitur dependentiam à Voluntate est causalitas voluntatis tanquam efficientis; quatenus vero est propter finem est causalitas finis. Quod vero Causalitas finis sit actio metaphorica sic probatur: Quicquid propriè agit, est efficiens omnem enim agens est efficiens; Finis quatenus talis non est causa efficiens. E. finis quatenus finis propriè non agit. E. agit tantum metaphorice. Neque sane absurdum est diversarum causarum eandem esse causalitatem secundum rem diversa ratione.

50. Effectus Causæ finalis non tantum sunt actus Voluntatis circa media, ut sunt electio & executio, quæ sunt propter finem; verùm etiam actiones circa finem tum nondum acquisitum, ut amor & intentio; tum circa finem acquisitum, ut gaudium in fine acquisito, cum fiant propter finem secundum eius rationem cauſandi formalem. *Franc. Moris. disp. phys. 2. q. 31.* Verùm ut aliquid moveat voluntatem, & exerceat causalitatem



licitatem finis, requiritur, ut sit cognitum. Omnis enim causa ad causandum requirit aliquid esse E. & finis, quod cum non sit necessario reale, nam potest aliquid esse finis. etsi tunc quando causat, formaliter actus non sit; sicut Sanitas est finis Curationis, licet nondum sit; requiritur ergo esse cognitum. Hinc illud vulgi, *Ignoti nulla Cupido*; quando vero aliquid cognosco tanquam bonum & conveniens, tunc appetitus quoque fertur in illud, si media videam ad consequendum idonea.

51. Non solum a Intellectualia agentia agunt propter finem, quod omnes admittunt; verum etiam agentia *Naturalia*, quod *Arist.* *fuse probat contra antiquos 2. Phys. t. 75.* Cum vero id agat propter finem, quod cognoscit finem, hic notandi erunt diversi cognitionis modi *Causæ finalis*. 1. Perfectissimus est, ubi cognoscit finis non solum, ut res quædam est, sed est proportio mutua inter ipsam & media, quæ cognitio ut formalis, soli creaturæ intellectuali competit. 2. modus est imperfectior & sensualis tantum vel naturalis, i. e. secundum quandam convenientiam, nulla cognita proportione cum mediis, quomodo tribuitur animalibus brutis. 3. est imperfectissimus, qui est in agentibus purè naturalibus, quæ cognitio non est propria sed aliena sc. auctoris naturæ; non agentium purè naturalium. Et simili modo se res habere dicitur, ut in operibus artificialibus, quæ arte moventur, unde solum propter finem agere dicuntur per denominationem extrinsecam, & de hoc intelligendum est imprimis quando dicitur: *Opus naturæ est opus intelligentiæ.*

52. Finis alius est *Cujus*, alius *Cui*. 2. *de anim. t. 37.* In qua divisione prius membrum sumendum est *exclusivè & specialiter pro eo quod ita est finis cuius, ut non sit simul finis cui*; non vero *simpliciter*, quomodo omnis finis est cuius, cum finis sit id cuius gratia aliquid fit. Finis *Cujus* est, cuius acquirendi gratia efficiens agit. Finis *Cui* est, ipsum subiectum cui finis acquiritur, sicut, e. g. sanitas est finis medici cuius, ægri vero Finis cui.

53. Finis vel est *Ultimus* vel *Intermedius*. *Ultimus* est propter quem reliqua expetuntur, ipse vero propter nullum alium. Est talis vel simpliciter, vel in certo genere. Ille est ad quem omnia simpliciter referuntur, ut Deus. *Ultimus* vero in certo genere est, qui licet referatur ad aliud alterius generis, ad ipsum tamen omnia referuntur, quæ sunt in certa rerum serie. Ita finis ultimus in genere actionum humanarum 1. *Eth.* est operatio virtutis; omnes n. actiones humanæ ad



actionem virtutis sunt referendæ, & ipsa non refertur ad actionem aliam humanam, licet referatur ad *Deum*, qui est extra res humanas. *Finis Intermedius est*, propter quam alia ita sunt, ut ipse etiam sit propter aliud; ita purgatio pravorum humorum est finis intermedius, hujus enim gratia absumitur medicamentum, ipsa tamen purgatio est propter sanitatem; Unde finis subordinatus habet rationem finis & rationem medii finis; respectu eorum quæ propter ipsum appetuntur; medii, respectu finis ultimi.

54. *Finis vel est Principalis vel Secundarius*. Principalis est propter quem agens ita agit, ut nisi propter illum ageret, non ageret, etsi actio propter aliud utilis esset. *Finis secundarius* est propter quem agens ita agit, ut nisi propter aliud esset utilis, non ageret. e. g. Mercator proficiscitur Lipsiam, ut mercers vendat, & amicum visitet; venditio mercium est finis principalis; quia propter hunc solum proficisceretur, etsi non intenderet visere amicum. Visere autem amicum est finis secundarius, quia propter hunc solum non proficisceretur.

55. *Finis alius est Internus alius Externus*. Quæ divisio dupliciter intelligi potest, 1. ut juxta *Zab. i. de nat. Log. c. 15. Finis internus* dicatur qui ita ab aliquo intenditur, ut ab eo etiam fiat vel comparetur; sicut domus est finis artis architectonicæ, & frenum frenefactoriæ. *Finis v. Externus*, qui ab aliquo intenditur, ut tamen ab eo non producat per se vel comparetur, sed ab alio, talis finis est habitatio respectu artis ædificatoriæ, & frenatio respectu frenefactoriæ; ædificator n. non in habitat domum per se nec qui frenum facit per se equitat. Hinc probe notandum, finem internum *semper esse in nostra potestate*: sed non Externum. Nam & qui artem dicendi probe caller, docta oratione nunquam destituitur, neq; bonus medicus optimo remedio; neq; tamen orator semper persuadet, neq; medicus semper sanitatem vel conservat vel restituit. *Non igitur est de essentia finis, esse in potestate artificis*. 2. *Juxta Toletum de Dialect. in Comm. q. 4.* Internus finis est ad quam scientia ex sua natura ordinatur. Externus quem sibi proponit, qui eam scientiam habet, vel addiscit, ut si quis Philosophiam addisceret lucrandi, aut medicinam speculandi gratia; quæ divisio coincidit cum distinctione *Finis in Essentialem & Accidentalem*.

Hæc de Causis & præcipuis Causarum divisionibus dixisse, sufficienter.

FINIS.











litatem finis, requiritur, ut sit cognitum. Omnis enim dum requirit aliquid esse E. & finis, quod cum nolle, nam potest aliquid esse finis. et si tunc quando actu non sit; sicut Sanitas est finis Curationis, licet ritur ergo esse cognitum. Hinc illud vulgi, *Ignorantia* vero aliquid cognosco tanquam bonum & contentus quoque fertur in illud, si media videam ad con-

51. Non solum a Intellectualia agentia agere quod omnes admittunt; verum etiam agentia Naturalia *probat contra antiquos 2. Phys. 1. 75.* Cum verum, quod cognoscit finem, hic notandi erunt diversi modi Cause finalis. 1. Perfectissimus est, ubi cognoscitur quædam est, sed est proportio mutua inter ipsam cognitionem ut formalis, soli creaturæ intellectuali comparatur imperfectior & sensualis tantum vel naturalis, i.e. convenientiam; nulla cognita proportione cum tribuitur animalibus brutis. 3. est imperfectissimus pure naturalibus, quæ cognitio non est propria sed creaturæ; non agentium pure naturalium. Et simili modo, ut in operibus artificialibus, quæ arte moventur, ut finem agere dicuntur per denominationem extrinsecam, quod est imprimis quando dicitur: Opus naturæ est

52. Finis alius est *Cujus, alius Cui. 2. de anim. 1.* prius membrum sumendum est *exclusivè & specificè est finis cuius, ut non sit simul finis cui;* non vero finis omnis finis est cuius, cum finis sit id cuius gratia *Cujus* est, cuius acquirendi gratia efficiens agit. subjectum cui finis acquiritur, sicut, e.g. sanitas cuius, ægri vero Finis cui.

53. Finis vel est Ultimus vel Intermedius. quem reliqua expetuntur, ipse vero propter nullum vel simpliciter, vel in certo genere. Ille est ad quem referuntur, ut Deus. Ultimus vero in certo genere referatur ad aliud alterius generis, ad ipsam tantum, quæ sunt in certa rerum serie. Ita finis ultimus humanarum *1. Eth.* est operatio virtutis; omnes n.

